PA 379
.A4
Copy 1

DE

ACCUSATIVI CUM INFINITIVO

CONIUNCTI ORIGINE ET USU HOMERICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS ALBRECHT

LUBECENSIS.

39

72421

LIPSIÆ

TYPIS EXPRESSERUNT HUNDERTSTUND & PRIES.

MDCCCLXXI.

PA377
.A4

Quae de accusativo cum infinitivo expositurus sum, in duas partes distribuenda censeo: quarum in priore de origine huius structurae disseram; in altera deinde ea enumerabo verba, quibuscum in carminibus Homericis accusativus cum infinitivo coniungitur.

CAPUT I.

De origine accusativi cum infinitivo coniuncti.

Infinitivi formam in lingua graeca pariter atque in ceteris linguis casum esse substantivi alicuius abstracti omnes concedunt, dissentiunt vero de casu ipso, prout *αι* diphthongo, in quam plenissima ideoque antiquissima forma exit, aut dativum[1]) aut locativum[2]) indicari putant. Sed ei, qui de dativo cogitaverunt, plane neglegunt, quod in lingua graeca dativus in *αι* exiens nusquam exstat, id quod eo magis suspitionem contra hanc sententiam movet, quo veri similius est infinitivum in ea formarum copia, quae omnibus stirpis indogermanicae linguis communis erat, locum

1) Bopp vgl. Gramm. III, p. 323; Conjugationssyst. p. 85; Accentuationssyst. p. 149.— Delbrück, Kuhn XVIII, p. 103.— Leo Meyer, der Infinitiv der homerischen Sprache, p. 8, et vgl. Gramm. des Griech. und Latcinischen, II, p. 277. — Benfey, kurze Sanskritgramm. § 919. — Lange, Zeitschr. für österr. Gymn. 1855, p. 738. — Hentze, Zeitschr. für das Gymnw., Berlin 1866 p. 721.

2) G. Curtius de nominum graecorum formatione, p. 58 et Erläuterungen², p. 197. — Schleicher, Compendium², p. 415. — (Delbrück, de infinitivo graeco, p. 2). — Schoemann, Jahrb. f. cl. Phil. 1869, p. 216.

suum nondum habuisse, sed ab unaquaque lingua separatim excultum esse[3]). Locativus contra optima analogia nititur, et quod suffixum casuale et quod stirpem ipsam attinet. Nam ut ab usitatissimis infinitivi formis in *μεναι* et *εναι* exordiar, eadem suffixa — idque ea, quae modo de infinitivo separatim exculto dixi, respicienti maximi est momenti — eadem, dico, suffixa (*mana* et *ana*), quae ad infinitivum formandum adhibita sunt, haud raro nobis occurrunt in abstractorum nominum formatione. Sic cum *κλαυθμονή*, *πλησ-μονή* vocabulis conferri possunt infinitivi *δό-μενα-ι*, *ἔδ-μενα-ι* — *ἐσθέ-μενα-ι*, *διδασκέ-μενα-ι*, *ἀκουέ-μενα-ι*; itemque *ἡδ-ονή*, *ἀγχ-ονή* substantivis respondent infinitivi ut *ἰ-έναι* — *θεῖναι* (ex *θε-εναι*), *δοῦναι* (ex *δο-εναι*) — *ἱστά-ναι*, *διδό-να-ι*. Duo ergo diversa suffixa ad infinitivos, qui in *μεναι* et (*ε*)*ναι* exeunt, formandos adhibita esse cum G. Curtio credo. Boppio contra has duas terminationes ad unum suffixum *man* revocanti non assentior, non solum quia hoc suffixo similia nomina non formantur, sed etiam quia *μ* consonae eicctio, quam ille[4]) eumque secutus Leo Meyerus[5]) statuit, omni analogia graeca caret. Breviores deinde terminationes *μεν* et *ειν* abiecta *αι* diphthongo ex *μεναι* et *εναι* ortae sunt. Atque Schleicherus[6]) quidem illud *ειν* [aeol. *ην*, dor. *εν*[7])] natum esse censet ex *ειναι*, quod epenthesi ex *ενι* pro *εναι* posito factum sit. Sed quoniam commutatio inter *αι* et *ι* nulla analogia probatur, hoc satis est dubium. Neque minus errasse puto Ahrensium[8]), qui *ειν* ex *εμεναι*, *εμιναι*, *ειναι* derivat; nam, ut G. Curtius[9]) monuit, non perspicitur, cur lingua, quae alias

---

3) G. Curtius, zur Chronologie der indogerm. Sprachforschung, p. 77.

4) Vgl. Gramm. III, p. 324, et Accentuationssystem, p. 149.

5) Der Inf. der hom. Sprache, p. 9.

6) Compendium[2], p. 426.

7) Ahrens de dial. aeol. p. 89; de dial. dor. p. 176.

8) de dial. aeol. p. 89; de coniug. in *μι*, p. 11.

9) de nominum graec. form. p. 55.

saepe *μν* tulerit, hic in harum consonarum consociatione offenderit. Delbrückius[10]) denique terminationem de qua agitur ad *ειν* revocaverat*), i. e. ad accusativum *τι* suffixi, ea nisus analogia, quod tertia persona singularis indicativi praesentis *ει* praebet pro *ετι*. At falsa est analogia, quoniam diversa est ratio formarum in *εν* et *ειν* et doricum *εν* praesentis et *ειν* perfecti[11]) sic explicari non possunt. Nam *λέγει* non, ut Schleicherus[12]) putavit, ex *λεγε(σ)ι* pro antiquiore *λεγετι* derivari potest, quoniam Dorienses, quos nunquam *τ* in *σ* debilitasse constat, nihilo minus *λέγει* forma utuntur[13]), immo vero cum Ahrensio[14]) ita derivandum est, ut epenthesi *λεγειτι* sit factum, quod *ι* finali elisa in *λεγειτ* transierit atque *τ* consonam, quippe quae in fine verbi locum non haberet, abiecerit. In *λεγετιν* contra *τ* medio in vocabulo reperimus itaque *λέγει* ex *λεγετι* ortum non probat *λέγειν* factum esse ex *λεγετιν*. Neque minus obstat *εν* doricum, quod et in verbis non contractis et in verbis contractis legitur. Delbrückius quidem *λέγεν* pariter pro *λέγειν* dictum esse iudicat atque *λεγες* pro *λέγεις*. Sed nullo iure. Nam cum *λέγες* forma *ι* vocali abiecta ex *λεγεσι* fieri potuerit, omnino de correptione a Doriensibus facta non constat. Sola via, qua ad omnes has formas explicandas pervenire possumus, est ea, quam G. Curtius nos in scholis docuit Rennerusque in dissertatione inaugurali ingressus est[15]). Vocalem enim thematicam servatam et cum *εν(αι)* terminatione breviore contractam esse censet. Ceterum etiam hoc ad eam quam secuti sumus rationem commendandam accedit, quod aoristi

---

10) de inf. graeco, p. 5.

*) Ipse enim quadam ex parte hanc opinionem in Kuhnii Annal. XVIII, p. 103 retraxit.

11) Ahrens de dial. dor. p. 179.

12) Compendium², p. 678.

13) Ahrens de dial. dor. p. 305.

14) Coniug. in *μι*, p 16. 34.

15) Studien I, 2, p. 34.

I. forma, quae quidem a stirpe omnibus huius temporis formis communi secerni non potest, aperte locativi terminationem habet: λῦσα-ι ex λυσα, χεῖα-ι ex χευα factum[16]).

Medii denique infinitivum in σθαι sive θαι exeuntem Boppius[17]) eo explicat, quod σ consona, quae ad *sva* pronomen reflexivum revocanda sit, composita sit cum θαι, i. e. nomine actionis ex dhâ (θε) radice formato, et Schleicherus[18]) eam cum vedica terminatione *dhjâi*, quae est dativus *dhi* suffixi, comparat, in dubio relinquens, utrum *s* in vedica illa forma omissa an in lingua graeca addita sit. Langius[19]) contra, quoniam — id quod Boppius[20]) monuit — vedica illa forma semper activum notat, summo iure, ut mihi videtur, has formas diversas esse contendit et σ in σθαι ex *as* (ες) radice derivat[21]), θαι autem infinitivum medio-passivum esse putat, qui non ut vedica illa forma dativus sit *dhi* suffixi[22]), sed compositus sit ex *dha* et *ja* radicibus. Stirpem igitur, unde infinitivus medii formatus est, primo in *dhja* exiisse cum Langio credo, unde *j* eiecta factum sit θα et cum terminatione locativi θαι. Nam quod Langius θαι illi dativi formam attribuit, equidem ex eis, quae ante disputavi, probare non possum, immo vero analogia formarum in μεναι, εναι, σαι adducor, ut etiam hanc formam ad locativum revocandam esse putem.

Infinitivus igitur graecus origine sua est locativus substantivi alicuius abstracti, quod — ut hoc statim addam — a nominis veri ac proprii natura eo discrepat, quod pariter atque verbum, quocum arte cohaeret, cum obiecto et adverbiis coniungitur. Ceterum istius originis conscientia

---

16) Cf. Schleicher, Compendium², p. 376. — Leo Meyer, d. Inf. der hom. Sprache, p. 10. — Bopp, vgl. Gramm. III, p. 272.

17) Vgl. Gramm. III, p. 328; Accentuationssystem, p. 149.

18) Compendium², p. 463.

19) über die Bildung des lat. Inf. Praes. Pass., p. 30 sq., p. 49.

20) Vgl. Gramm. III, p. 331.

21) Idem Benfeyus, kurze Sanskritgramm., p. 236, statuit.

22) l. l. p. 50.

iam in antiquissimis monumentis linguae graecae, i. e. in carminibus Homericis, quadam ex parte obliterata esse infinitivusque naturam nominis indeclinabilis assumpsisse videtur. Id autem cum forma tum usus syntacticus docent. Breviores enim et pleniores formae sine ullo discrimine adhibentur; terminatio autem casualis abici non poterat, nisi lingua infinitivum ut locativum vel omnino ut casum aliquem sentire desierat. Idemque ex usu syntactico intellegitur. Nam cum infinitivo ut locativo primo haec fuerit propria natura atque indoles, ut orbem notaret, in quo actio verbi versatur aut vis adiectivi cognoscitur[23]), haud pauca exstant exempla, quae ex hac pristina eius natura explicari nequeunt. Sic quasi subiecti loco positus est:

B 453 (*Λ* 13): *ποῖσι δ' ἄφαρ πόλεμος γλυκίων γένετ' ἠὲ νέεσθαι.*

K 173: *νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι.*

Obiecti contra locum occupare videtur:

E 51: *δίδαξε γὰρ Ἄρτεμις αὐτή βάλλειν ἄγρια πάντα.*

H 93: *αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.*

Vidimus ergo infinitivum primo locativum fuisse, deinde vero locativi vi et notitia obliterata latius usurpatum esse. Nunc vero quaerendum est, quid de altero membro eius structurae, cuius usum Homericum exponere mihi est in animo, statuendum sit.

Cardo autem huius quaestionis in eo versatur, utrum accusativus a verbo finito pendeat necne, itaque diversas illas explicandi rationes, quae propositae sunt, eo ordine tractabo, ut primum agam de sententiis illorum, qui negant, deinde de sententiis illorum, qui contendunt accusativum a verbo finito postulari. Et ei quidem, qui accusativum non a verbo finito pendere putant, ad unum omnes structuram accusativi cum infinitivo tanquam rem ab initio perfectam

---

23) G. Curtius, Erläuterungen², p. 197.

et absolutam tractant eamque logicis, non — ut par est — grammaticis rationibus explicare student; quomodo autem haec oriri potuerit, omnino non quaerunt.

Sic Guilelmus de Humboldt[24]) his verbis utitur: „Vermöge dieser Construction (sc. acc. c. inf.) wird ein selbständiger Satz ebenso als Prädicat oder Theil des Prädicats mit einem andern Satze verbunden, als dies bei den absoluten Participialsätzen als Theilen oder Bestimmungen des Subjectes geschieht. Es muss daher dem zu verbindenden Satze ebenso seine Selbständigkeit, d. h. sein verbum finitum, genommen werden. Dies geschieht aber bei dieser Construction durch Verwandlung in den Infinitiv. Dieser Infinitivus wird nun von dem Hauptsatze regiert, und er regiert wieder alle einzelnen Theile des zu ihm gehörenden Satzes, und gerade weil er dies thut, muss er den Nominativ, der das Subject des für sich bestehenden Satzes war, nun in einen Accusativ verwandeln.“ Similemque in modum Eggerus[25]) iudicat: „Une proposition,“ inquit, „qui devient ainsi partie intégrante d'une autre proposition, soit à titre de sujet, soit à titre de complément, cesse par cela même d'être une proposition indépendante, une proposition principale; quoiqu' elle se place en tête de la phrase, elle n'est pas moins, pour cela, subordonnée, en quelque sorte, à la proposition dont elle fait partie, et cette espèce de subordination se marque par un double signe: le cas accusatif, pour le sujet, et le mode infinitif pour le verbe.“

Ex Humboldtii igitur Eggerique sententia subiectum infinitivi accusativo exprimitur, quia una cum infinitivo enuntiatum ab altero enuntiato pendens efficit. Sed ut dependentiam, ut ita dicam, iustam causam fuisse concedamus, tamen non probatur, cur accusativus solus inter omnes casus obliquos is sit, quo dependentia illa notari possit.

---

24) v. Schlegel, indische Bibl., II, p. 117 sq.

25) Notions élémentaires de grammaire comparée, Paris 1865, p. 136.

Schoemannus denique sententiae, quae iam pridem a Kochio, Schmidthennero, Jacobsio [26]) prolata erat, acerrimus propugnator et defensor exstitit [27]). Subiectum enim infinitivi necessario ut obiectum logicum cogitandum esse dicit, quia infinitivus semper sit obiectum logicum, ideoque non nisi accusativo, qui solus sit idoneus ad relationem obiecti exprimendam, significari posse. Sed, ne in virum tam bene de rebus grammaticis meritum plura dicam, non possum quin mirum esse iudicem, quod accusativus solus sit idoneus ad relationem obiecti exprimendam, cum etiam genetivus dativusque eiusmodi relationes exprimant. Itemque non video, quomodo infinitivus eis locis logicum obiectum esse possit, ubi potius habeatur subiectum, ut

K 173: *νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵστατα ἀκμῆς*
ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι.

Postremo Miklosichius [28]) desperat fere de ratione, qua accusativus c. inf. explicandus sit. Namque causam accusativi ex infinitivo, quippe qui nomen sit, repetendam esse existimat propterea quod in lingua gothica et slavica dativus cum infinitivo easdem fere vices gerat atque alias accusativus cum infinitivo. Sed hac ratione non explicat, qui accusativus (vel dativus) infinitivo addi potuerit, immo vero — idque potissimum ex eis, quae l. l. p. 505 disputavit, apparet — structuram acc. c. inf. pariter atque illi, quorum sententias ante commemoravi, tanquam rem ab initio perfectam absolutamque tractat.

Quaenam igitur difficultates omnibus explicandi rationibus, quae hoc fundamento nituntur, obstent, satis iam indicatum videtur. Itaque operae pretium erit, si alia via ad structuram de qua agitur explicandam pervenire cona-

---

26) Vide Miklosich, über den acc. c. inf. (Sitzungsber. der phil.-hist. Classe. Dec.) Wien 1868, p. 485

27) Lehre von den Redetheilen, p. 46 sq., et Fleckeisen, Jahrbücher f. cl. Phil., 1869, p. 222, et 1870, pag. 187.

28) l. l. p. 490.

mur, dico ea, qua illam ut paulatim factam excultamque comprehendimus et inquirimus, quid emolumenti ex antiquissimae linguae usu ad illam explicandam percipi possit. Reperimus autem in carminibus Homericis non solum exempla, e quibus infinitivum accusativo vel alii casui addi potuisse optime cognoscitur, sed etiam exempla, quae satis probant verba ea, quibus accusativus cum infinitivo adiungitur, etiam et infinitivum solum et accusativum solum secum habere. Sic infinitivus accusativo additur:

γ 173: *ἤτέομεν δὲ θεὸν φῆναι τέρας.*

(cf. *X* 295: *ἤτεέ μιν δόρυ μακρόν*).

Λ 798: *καί τοι τεύχεα καλὰ δότω πόλεμόνδε φέρεσθαι.*

(cf. *A* 123: *πῶς γάρ τοι δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί;*)

dativo:

B 50: *αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν κηρύσσειν ἀγορήνδε.*

(cf. *N* 230: — *κέλευέ τε φωτὶ ἑκάστῳ*).

A 18: *ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι.*

Infinitivus deinde solus verbo finito additus sexcenties legitur, ut

A 386: *αὐτίκ' ἐγὼ πρῶτος κελόμην θεὸν ἱλάσκεσθαι.*

Accusativum denique solum eis verbis, quae alias accusativum cum infinitivo secum habent, adiungi potuisse cognoscimus ex

Z 479: *καί ποτέ τις εἴπῃσι „πατρός γ' ὅδε πολλὸν ἀμείνων"*

ἐκ πολέμου ἀνιόντα,

ubi accusativo non ut

P 651: *καὶ τότ' ἄρ' Αἴας εἶπε βοὴν ἀγαθὸν Μενέλαον*

is notatur, cui aliquid dicitur, sed is, de quo id dicitur, quod hoc loco directa oratione expressum est, multo saepius infinitivo exprimitur.

Quae cum ita sint, profecto non a probabilitate abhor-

ret etiam in eis verbis, ubi eiusmodi exempla non exstant, statuere accusativum a verbo finito postulari. Sed videamus quae in hanc partem prolata sunt.

Atque Boppius quidem sic disputat[29]: „Anders — verhält es sich mit solchen (sc. Constructionen), wo der Accusativ der Person, ebenso wie der des Infinitivs, vom Verbum regiert wird. Wenigstens glaube ich nicht, dass Sätze wie „ich sah ihn fallen, ich hörte ihn singen, ich hiess ihn gehen, lass mich gehen" anders gefasst werden dürfen, als so, dass die Wirkung der Handlung des Sehens, Hörens u. s. w. zunächst auf die Person oder Sache fällt, die man sieht, hört, beauftragt u. s. w., und dann auf die durch den Infinitiv ausgedrückte Handlung, die man ebenfalls sieht, hört u. s. w. Die beiden Objecte des Verbums sind einander coordiniert, stehen zu einander im Verhältniss der Apposition (ich sah ihn und fallen, actionem cadendi); dass aber die durch das zweite Object ausgedrückte Handlung von der durch das erste ausgedrückten Person oder Sache (ich sah den Stein fallen) verrichtet wird, erhellt aus dem Zusammenhang, ist aber formell nicht ausgedrückt." Accusativi deinde cum infinitivo exemplis ex lingua gothica et graeca collatis sic pergit: „„In Luc. 19,14 ni vilein (vileima) thana thiudanon ufar unsis, *οὐ θέλομεν τοῦτον βασιλεῦσαι ἐφ' ἡμᾶς* — — können wir zwar der griechisch-gothischen Construction nicht folgen, wir können nicht sagen „wir wollen diesen nicht herrschen über uns", allein ich zweifle nicht, dass auch der Accusativ der Person und der des Infinitivs als Zielpunct des „wollen, suchen, meinen, glauben, hoffen, wissen etc." bedeutenden Verbums stehe."" Quae etsi proprie ad usum linguae gothicae spectant, tamen — ut ex ratione, qua Boppius infinitivi naturam explicat[30]), apparet — etiam ad linguam graecam referri possunt.

---

29) Vgl. Gramm. III, p. 321.
30) Vgl. Gramm. III, p. 318.

Tum vero duo sunt, quae concedere non possumus: unum, quod et infinitivus obiectum est et accusativus, alterum, quod actionem infinitivo notatam ab ea persona vel re, quae accusativo notatur, effici vel effectum iri forma non exprimitur. Haec autem ad unum eundemque fontem recurrunt. Infinitivum scilicet Boppius vices nominis agere existimat [31]). Id vero etsi quadam ex parte concedi potest, tamen propterea non prorsus recte disputatum est, quod cum infinitivum antiquissimo tempore casum quendam (locativum) fuisse constet, necessario sequitur, syntacticum eius usum ab initio certe casuali formae respondisse. Usus autem accusativi cum infinitivo in antiquissimis monumentis tam late iam patet, ut profecto nemo contendat incunabula — ut ita dicam — eius structurae non repetenda esse ex eo tempore, quo infinitivus propriam vim casualem nondum amiserit. Quae si ita se habent, Boppii sententiam hac ex parte reiciamus necesse est; nam si infinitivum primo ut locativum additum esse putamus, neque infinitivus ipse pariter obiecti loco additus esse potest atque accusativus, et actionem quam notat ab ea persona vel re, quae accusativo notatur, effici forma ipsa, non — ut Boppius voluit — contextu solo exprimitur. Exempla enim ut

Z 100: *ὅν πέρ φασι θεᾶς ἐξέμμεναι.*

E 894: *τῷ σ᾽ ὀίω — τάδε πάσχειν*

si formae casualis diligenter rationem habemus, in nostrum sermonem convertenda sunt: „den sie im Abstammen sagen, ich glaube dich im Leiden.“ Et cum terminus in quem item locativo exprimatur (cf. *Δ* 482: *χαμαὶ πέσεν*) exempla ut

B 11: *θωρῆξαί ἑ κέλευε κάρῃ κομόωντας Ἀχαιούς.*

X 222: *τόνδε δ᾽ ἐγώ τοι*
— *πεπιθήσω ἐναντίβιον μαχέσασθαι* —

convertenda sunt: „befiehl (heisse, treibe an) ihn zum Rü-

31) Idem est dicendum in Reisigium similiter iudicantem (Vorles. üb. lat. Sprachwiss., p. 780).

sten — ich werde diesen überreden zum Kämpfen". Unde apparet accusativum solum verumque esse obiectum verbi finiti. Id vero optime eo confirmatur, quod — ut iam ante commemoravi — in carminibus Homericis haud pauci exstant loci, ubi eisdem verbis, quae alias accusativum cum infinitivo secum habent, aut accusativus solus aut accusativus una cum secundario enuntiato additus est. Altera autem quam dixi structura — vulgo prolepsis vocatur — quanti sit momenti ad accusativum in structura accusativi cum infinitivo explicandum, iam pridem Wachsmuthius [32]) et Füstingius [33]), recentiore tempore Curtius [34]) praedicaverunt. Sed Füstingius similem in modum errat atque Boppius. Nam cum infinitivum alterius obiecti loco in accusativo positum, indeclinabile ergo nomen esse censeat, rationem cur accusativus cum in prolepsi, tum in structura acc. c. i. adhibitus sit, inde petit, quod antiquissimo tempore accusativus solus fuerit casus, quo obiectum notari potuerit. Verum tempus illud, quo accusativus solus casus obliquus vel fuit vel fuisse videtur, tam longe recedit ultra eos fines, quos ratione ac via in linguis perscrutandis attingimus, ut antiquissimam hanc accusativi naturam nullo modo adhibere liceat ad structuram explicandam, quae multo serius orta est et — id quod est longe maximum — tempore, quo etiam ceteri casus obliqui exstabant. Huc accedit, quod Füstingius infinitivum, quem aut accusativum aut nominativum esse contendit, tanquam nomen tractat, quod iam antiquissimo illo tempore, quo accusativum solum casum obliquum fuisse dicit, indeclinabile fuerit: id quod concedere non possumus respectis eis, quae ante de forma et origine eius disputavimus.

Multo rectius contra G. Curtius iudicat, qui his fere verbis utitur: „Der beim Infinitiv stehende Accusativ ist

---

32) de acc. c. inf., p. 15.
33) Comm. de natura acc. c. i. apud Latinos, Münster 1839, p. 13.
34) Griech. Schulgramm. § 567.

eigentlich von dem Verbum des Hauptsatzes abhängig und erklärt sich aus der Prolepsis. Für *ἤγγειλαν ὅτι ὁ Κῦρος ἐνίκησεν* ist zulässig: *ἤγγειλαν τὸν Κῦρον ὅτι ἐνίκησεν*, für *ὅτι ἐνίκησε — νικῆσαι;* so entsteht *ἤγγειλαν τὸν Κῦρον νικῆσαι* *). Accusativum ergo obiecti locum occuparc existimat; infinitivum autem primo ut locativum valuisse quadam ex parte concedit, dicens [35]): „Meine Darstellung des Infinitivs stützt sich aber stillschweigend auf die Annahme, dass er, seines Ursprungs ein Locativ, von da aus sich erst allmählich zu einer weiteren Anwendung ausgebildet habe.“ Id vero addidi propterea quod Wachsmuthius iam plus quinquaginta annis abhinc eandem explicandi viam ingressus est, nisi quod rationem, cur infinitivus addi potuerit, omnino non curat.

Eandem explicandi rationem etiam ad linguam latinam, in qua infinitivus item locativus fuisse videtur, adhibere possumus. Sic exemplis ante allatis respondent:

Plaut. Poen. prol. 4:

audire iubet vos imperator histricus;

Merc. I, 2, 95: si illam matri meae me emisse dicam. et prolepsis exemplum praebet Cic. Tusc. I, 24: sanguinem, bilem, pituitam videor posse dicere, unde concreta et quomodo facta sint.

De Germanorum quidem infinitivo non exploratum est, quamnam terminationem casualem primo habuerit; est enim forma similem in modum decurtata, atque in lingua graeca: *φέρειν* (dor. *φέρεν*) infinitivo respondet goth. bairan, germ.

---

35) Erläuterungen [2], p. 197.

*) Nullo vero modo — id quod Langius (Zeitschr. für österr. Gymn., 1855, p. 728) putasse videtur — rem ita intelligi voluit, ut lingua diversos illos gradus, qui hic notantur, percurrerit, donec ad structuram accusativi cum infinitivo pervenerit; sed natura et origo accusativi cum in prolepsi tum in ea de qua agitur structura eaedem esse atque ex uno eodemque linguae studio grammaticas relationes exprimendi manasse videntur. (Cf. etiam Fleischer, de primordiis acc. c. i. p. 30 sq.)

beran[36]). Sed accusativum cum infinitivo coniunctum a verbo finito postulari nos quidem nostrae ipsorum linguae sensus quidam et conscientia docet. Recte igitur Curtius[37]): „Unser Sprachgefühl," inquit, „verknüpft in Sätzen, wie ‚ich höre ihn reden, ich heisse sie kommen, ich lasse euch gehen' den Accusativ ganz in derselben Weise mit dem regierenden Verbum, wie wenn kein Infinitiv dabei steht."

Inde vero colligendum est linguam antiquiorem, in qua accusativum cum infinitivo paulo saepius usurpatum reperimus, non minus accusativum ut a verbo finito pendentem sensisse atque structuris ut

„Ulf. Marc. 8, 27 hvana mik quithand mans visan?
2. Cor. 5, 11: venja — svikunthans visan uns"

eadem ratione usam esse atque lingua graeca et latina in similibus verbis accusativum cum infinitivo adhibuerint.

In eis autem exemplis, quae adhuc tractavi, verbum finitum transitivum erat. Iam vero quaeritur, quid statuendum sit de eo accusativo cum infinitivo, qui verbis intransitivis et passivis et potissimum verbo substantivo cum substantivis et adiectivis coniuncto additur, ut

B 190: *οὔ σε ἔοικε κακὸν ὥς δειδίσσεσθαι.*
H 331: *τῷ σε χρὴ πόλεμον μὲν ἅμ' ἠοῖ παῦσαι Ἀχαιῶν.*
Φ 281: *νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.*
P 336: *αἰδὼς — —*
Ἴλιον εἰσαναβῆναι — δαμέντας.
ν 15: — *ἀργαλέον γὰρ ἕνα προικὸς χαρίσασθαι.*

Atque Wachsmuthius[38]) quidem de falsa analogia cogitavit, cum dicat: puto illam (sc. constructionem acc. c. i. verbis intransitivis additam) licentia quadam exponi posse loquentium, qui primam (sc. verbis transitivis adiunctam) constructionem, brevitati studentes, variis adhibuerint occa-

36) Schleicher, Compendium[2], p. 427.
37) Erläuterungen[2], p. 200.
38) l. l. p. 18. Idem sentit Hentze, Zeitschr. für das Gymnw. Berlin 1866, p. 738.

sionibus et mox in frequentiorem diversumque usum siverint aberrare." Sed quoniam falsa analogia quasi ultimum refugium est, periculum certe faciendum erit, annon alia explicandi ratio inveniri possit.

Nam si in nonnullis huiusmodi verbis non solum acc. c. inf., sed etiam accusativum et genetivum aut accusativum solum reperimus:

H 109: *οὐδέ τί σε χρή*
ταύτης ἀφροσύνης.

ζ 193: *ὧν ἐπέοιχ' ἱκέτην ταλαιπείριον ἀντιάσαντα*[39]).

χ 196: *ὥς σε ἔοικεν.*

nemo profecto accusativum a verbo infinito postulari censebit, immo vero revocabit ad transitivam quandam vim, quae his verbis insita sit. Quid vero statuendum est de accusativo verbis passivis et verbo substantivo addito? Atque Curtius[40]) quidem sic disputat: „Ist das regierende Verbum ein intransitives oder passives, so ist der Accusativ der freiere: *ἐλπίς ἐστι πάντα καλῶς ἔχειν*, es ist Hoffnung da in Bezug auf alles, dass es gut steht, d. i. es ist zu hoffen, dass alles gut steht." Et equidem illi plane assentior, nam ex exemplis, licet apud scriptores posterioris temporis legantur, ut

Xenoph. Cyrop. II, 1, 5: *τοὺς μέντοι Ἕλληνας τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ οἰκοῦντας οὐδέν πω σαφὲς λέγεται εἰ ἔπονται.*

Aristoph. Av. 1269:

δεινόν γε τὸν κήρυκα εἰ μηδέποτε νοστήσει πάλιν[41]).

---

39) Non quidem ignoro, hos locos vulgo ellipsi (*μὴ δεύεσθαι*) explicari, sed quoniam dura videtur negatio in ellipsi et germanica lingua optimam analogiam acc. et gen. praebet (Nibel. 1101, 2: weinens si gezam; Iwein 3079: in zimet der arbeit), illam explicandi rationem iustam esse non puto.

40) Griech. Schulgrammatik § 567.

41) Similiter de *Ξ* 81:

βέλτερον ὃς φεύγων προφύγῃ κακὸν ἠὲ ἁλώῃ

iudicandum est, ubi acc. subaudiendus videtur.

Arrian. Anab. I, 27: *ἠγγέλθη τοὺς Ἀσπενδίους, ὅτι οὐδὲν τῶν συγκειμένων πρᾶξαι ἐθέλοιεν* —
apparet accusativum hac ratione addi potuisse. Neque minus in lingua germanica verbo substantivo cum nominibus coniuncto accusativus [42]) additur:

mik ist kara (cura) = *μέλει μοι*; cf. Ulf. Joh. 12, 6: ni theei *ina* thize tharbane kara wesi;

mih ist wuntar; cf. Otfr. I, 9, 27: wuntar was *thia menigi*;

mih ist furiwizzi (importuna curiositas movet me); cf. Notk. Boeth. 94: *in* (eum) was furewizze;

mih ist niot (delectat me)

a, *niot* subst.; cf. Otfr. V, 22, 7: thes ist *si* iamer filu niot,
b, *niot* adi.; cf. Willir. 45, 27: daz *unsich* desde nieter si —
Willir. 20, 28: daz *in* (eum) allernietesta ist.

Quibus in nominibus verbo substantivo adiunctis accusativus vulgo explicatur, ac si illa loco verborum accusativum postulantium posita sint, ut: mih ist wuntar = wuntarot mih. Sed Grimmius [43]) ipse fatetur, sese ex hac sola analogia illum accusativum explicare non audere, quoniam verba, quae pro illa nominum verbique substantivi consociatione ut accusativum postulantia ponamus necesse est, non semper exstant et accusativus etiam simplici verbo substantivo interdum adiungitur. Idem vero in eos dicendum videtur, qui hac ratione accusativum in structura de qua agitur explicare student [44]). Nam quae, quaeso, verba pro *αἰδώς* (*P* 336), *ὥρη* (*λ* 330), *κακόν ἐστι* (*β* 132) similibus subaudiri possunt?

Quae cum ita se habeant, rationem cur accusativus et in lingua germanica et in graecis illis exemplis positus sit, potius ex latiore usu, qui huic casui antiquiore tempore fuerit, repetendam esse puto. Infinitivus autem propriam

---

42) Cf. Grimm, deutsche Grm. IV, p. 233 sqq.
43) l. l. p. 252.
44) Füisting l. l. p. 21 sqq. Fleischer l. l. p. 29.

vim locativi etiam in his structuris in initio servasse eo probabilius est, quod in carminibus Homericis fere semper in fine enuntiati positus est. Sin vero, ut Boppius [45]), Delbrückius [46]), Füistingius [47]) voluerunt, inde ab initio subiecti vices gessisset, profecto semper in capite enuntiati collocatus esset.

Eandem vero rationem ad acc. c. inf., qui in lingua latina verbis intransitivis additur, explicandum adhibere possumus:

Plaut. Merc. V, 2, 76: non opust, inquam, nunc intro te ire.

Pers. III, 1, 41: malo cavere meliust te.

Neque linguis germanicis huius modi structurae desunt, sed raro leguntur:

Notker Boeth. 144: ist not misseliche namen *haben diu finviu;* Kero 19a: municho fioriu *wesan chunni* chund ist.

In lingua gothica contra paulo saepius reperiuntur [48]): Ulf. Rom. 13, 11: mel ist uns ju us slepa urreisan; Skeir. 38, 10: gadob nu vas — thanzuh — gaquissans vairthan; Luc. 4, 36: varth afslauthnan allans. Hanc autem structuram eo minus ex imitatione linguae graecae explicare velim, quod accusativum (sine infinitivo) multo post similibus verbis additum esse vidimus.

Ceterum carmina Homerica ipsa probant linguam eo tempore, quo illa orta sunt, iustam de propria accusativi cum infinitivo natura atque indole intelligentiam non amplius servasse. Quae quantum obliterata sit, ut iam ex formis decurtatis sine ullo discrimine iuxta pleniores usurpatis apparet, sic etiam cum ex eo, quod haud raro dativus accusativi fere vices gerere videtur, tum e latiore accusativi cum infinitivo usu cognoscitur. Reperimus autem dativi quasi cum inf. structuram eisdem verbis adiunctam, quae alias accusativum c. inf. secum habent:

---

45) vgl. Gramm. III p. 318.

46) l. l. p. 26.

47) l. l. p. 22.

48) Vide von der Gabelentz und Loebe, Ulfilas II, p. 249.

B 50: *αὐτὰρ ο κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν*
κηρύσσειν ἀγορήνδε κάρη κομόωντας Ἀχαιούς.

Cf. *B* 65: *θωρῆξαί σε κέλευσε κάρη κομόωντας Ἀχαιούς.*

Qui haec exempla explicabimus? Iusta ratio, ut mihi videtur, facile nobis se praebet, si ea consideramus, quae antea de infinitivo Homerico disserui. Vidimus autem infinitivum notitia et vi locativi obliterata naturam nominis indeclinabilis assumpsisse. Quodsi exempla ut B 50 conferimus cum

Z 324: *καὶ ἀμφιπόλοισιν περικλυτὰ ἔργα κέλευεν,*

quid est simplicius quam *κηρύσσειν* eodem modo atque *περικλυτὰ ἔργα* accusativum, dativum vero in utroque enuntiato alterius obiecti loco positum putare? Eadem autem structura etiam in eisdem verbis intransitivis reperitur, quae accusativum cum inf. secum habent:

K 440: *τὰ μὲν οὔ τι καταθνητοῖσιν ἔοικεν*
ἄνδρεσσιν φορέειν.

(cf. *B* 190: — *οὔ σε ἔοικε κακὸν ὥς δειδίσσεσθαι*).

M 410: *ἀργαλέον δέ μοί ἐστι, καὶ ἰφθίμῳ περ ἐόντι,*
μούνῳ ῥηξαμένῳ θέσθαι παρὰ νηυσὶ κέλευθον.

(cf. *π* 88: *πρῆξαι δ' ἀργαλέον τι μετὰ πλεόνεσσιν ἐόντα*
ἄνδρα καὶ ἴφθιμον).

Atque his quidem locis dativus obiectum verbi intransitivi notat, infinitivus autem subiecti locum tenere videtur. Huic usui respondent in nostra lingua exempla ut

Ulf. 2. Cor. 7, 7: svaei mis mais faginon varth[49]); Trist. 11795: ir was das leben ande (cf. Trist. 8992: nu was im aber ande das sper).

Quod denique latiorem quem dixi usum accusativi cum infinitivo in carminibus Homericis attinet, nonnulla reperimus exempla, ubi eisdem verbis, quae modo dativum et infinitivum, modo accusativum cum infinitivo secum habent, praeter dativum etiam accusativus cum infinitivo vel po-

---

49) Cf. Köhler über den syntaktischen Gebrauch des Dativs im Gothischen, p. 39 sq.

tius praeter dativum et infinitivum etiam accusativus adiungitur:

Ψ 129: αὐτίκα Μυρμιδόνεσσι φιλοπτολέμοισι κέλευσεν
χαλκὸν ζώννυσθαι, ζεῦξαι δ' ὑπ' ὄχεσφιν ἕκαστον
ἵππους.

Α 541: αἰεί τοι φίλον ἐστὶν ἐμεῦ ἀπονόσφιν ἐόντα
κρυπτάδια φρονέοντα δικαζέμεν.

Itemque exstant exempla, ubi accusativum nullo modo a verbo finito postulari statuere possumus:

Ζ 267: οὐδέ πῃ ἔστι — —
— — πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Β 354: τῷ μή τις πρὶν ἐπειγέσθω οἴκόνδε νέεσθαι,
πρίν τινα πὰρ Τρώων ἀλόχῳ κατακοιμήθῆναι
τίσασθαι δ' Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε.

Sed numerus huiusmodi exemplorum tam exiguus est, ut profecto non a probabilitate abhorreat statuere linguam, postquam per multa saecula structuram accusativi cum infinitivo ita adhibuerit, ut logicum infinitivi subiectum, grammaticum vero verbi finiti obiectum accusativo notaret, paulatim sensum verae accusativi originis amisisse et subiectum, sicubi addendum erat, accusativo notasse.

CAPUT II.

De usu accusativi cum infinitivo Homerico.

In enumerandis eis verbis, quibus in carminibus Homericis acc. c. i. additur, non solum locos, ubi illa structura legitur, quantum fieri potest, omnes afferam, sed etiam eos, ubi eisdem verbis aut accusativus solus aut infinitivus solus sine accusativo aut dativus a verbo principali suspensus cum infinitivo coniungitur. Qua in re eum tenebo ordinem, ut primum tractem ea verba transitiva, in quibus accusativus per se obiecti loco positus videtur, deinde ea, in quibus accusativus prolepsis auxilio explicandus est. Ea

denique verba, quae vulgo impersonalia vocantur, etsi partim priori, partim alteri classi annumeranda sunt, tertio loco enumerabo.

I. Verba transitiva, quae per se accusativum obiecti loco postulant.

Verba huc pertinentia sunt verba, quae aliquem ut aliquid faciat vel non faciat commoveri indicant atque proinde in tres classes distribuenda sunt: verba commovendi, efficiendi, impediendi.

A. Verba commovendi.

a. Verba rogandi.

1) *αἰτέω.*

Acc. c. inf.

γ 173: *ἠτέομεν δὲ θεὸν φῆναι τέρας.*

Cf. Ulf. Marc. 5, 17: jah dugunnum bidjan ina galeithan hindar markos seinos.

Acc. solus:

Ν 295: *ἤτεέ μιν δόρυ μακρόν·*

Ζ 176. *β* 386. *ι* 354. *ρ* 365. *ω* 85. 337.

2) *λίσσομαι* (et *λίτομαι*).

A. c. i.

Α 173: *οὐδέ σ' ἔγωγε λίσσομαι εἵνεκ' ἐμεῖο μένειν.*

Ε 491. *Ι* 451. 574.

A. solus:

Α 15: *καὶ ἐλίσσετο πάντας Ἀχαιούς.*

Α 374. 394. *Ι* 585. 591. 698. *Κ* 118. 455. *Μ* 49. *Ο* 660. *Σ* 448. *Ν* 35. 418. *β* 210. *γ* 19. 327. *δ* 347. *ζ* 142. *ϑ* 157. 344. *λ* 35. *μ* 53. 163. *ν* 273. *ξ* 406. *ρ* 138. *φ* 278. *χ* 337.

I. solus:

Α 283: *λίσσομ' Ἀχιλλῆι μεθέμεν χόλον.*

Δ 379. *Θ* 372. *Ο* 77. *Τ* 304. *Χ* 240. *ϑ* 30.

Aliter sese habent haec duo exempla:

Ι 511: *λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Διὶ Κρονίωνα κιοῦσαι, τῷ ἄτην ἄμ' ἕπεσθαι.*

et ι 224: ἐνθ' ἐμὲ μὲν πρώτισθ' ἕταροι λίσσοντ' ἐπέεσσιν
τυρῶν αἰνιμένους ἰέναι πάλιν —
de quibus postea apta oblata occasione disseram.

Ellipsi denique λίσσομαι verbi explicandum videtur
Η 79: σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν.

3) ἱκετεύω.

A. c. i.

λ 530: ὁ δέ με μάλα πόλλ' ἱκέτευεν
ἱππόθεν ἐξέμεναι.

A. solus:

η 292: τὴν ἱκέτευσ'(α).

η 301. ο 277. ρ 573 (cum ἐς praepositione Η 574).

4) λιτανεύω.

A. c. i. huic verbo non est additus, attamen illud reticere nolui, quoniam

Ψ 196: λιτάνευεν
ἐλθέμεν

accusativus ἀνέμους facile suppletur; cf. Hesiodi Theog. 469: — τότ ἔπειτα φίλους λιτάνευε τοκῆας
τοὺς αὐτῆς, Γαῖάν τε καὶ Οὐρανὸν ἀστερόεντα
μῆτιν συμφράσσασθαι.

A. solus:

Ι 581: πολλὰ δέ μιν λιτάνευ

Χ 414. Ω 357.

b. Verba persuadendi.

1) πείθω.

A. c. i.

Χ 222: τόνδε δ' ἐγώ τοι
οἰχομένη πεπιθήσω ἐναντίβιον μαχέσασθαι.

Ψ 40.

A. solus:

Α 132: οὐδέ με πείσεις.

Δ 104. Ζ 162. 360. Ι 112. 184. 345. 386. 587. Λ 648. Μ 173. Π 842. Ρ 33. Σ 126. Χ 78. 91. Ω 219. 433. α 43. β 106. [η 258]. ι 33. 500. ξ 123. 363. 392. τ 151. ψ 230. 337. ω 141.

Passiva huius verbi forma cum infinitvo solo coniungitur:

A 150: *πῶς τίς τοι πρόφρων ἔπεσιν πείθηται Ἀχαιῶν*
ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι;
K 204. *χ* 316. *ω* 456.

2) *παραπείθω.*

A. c. i.
χ 213: *μή σ' ἐπέεσσι παραιπεπίθῃσιν Ὀδυσσεύς*
μνηστήρεσσι φανῆναι, ἀμυνέμεναι δε οἱ αὐτῷ.
A. solus:
H 120: *ὣς εἰπὼν παρέπεισεν ἀδελφειοῦ φρένας.*
N 788. *Ξ* 208. *Ψ* 37. 606. *ξ* 290. *ω* 119.

3) *παραπαφίσκω.*

A. c. i.
ξ 488: *παρά μ' ἤπαφε δαίμων*
οἰοχίτων' ἴμεναι.
I. solus:
Ξ 360: *Ἥρη δ' ἐν φιλότητι παρήπαφεν εὐνηθῆναι.*

4) *παραυδάω.*

A. c. i. non legitur, sed accusativus facile subintelligitur
σ 178: *μὴ ταῦτα παραύδα κηδομένῃ περ*
χρῶτ' ἀπονίπτεσθαι καὶ ἐπιχρίεσθαι ἀλοιφῇ.
(*παράφημι* tantum dativum cum infinitivo secum habet:
A 577: *μητρὶ δ' ἐγὼ παράφημι — —*
πατρὶ φίλῳ ἐπὶ ἦρα φέρειν Διί.

Infinitivus ergo accusativi i. e. obiecti loco positus esse videtur. Nam accusativum non minus usitatum fuisse quam dativum facile cognoscis ex

[*π* 287.] *τ* 5: — *αὐτὰρ μνηστῆρας — — παρφάσθαι.*
M 249 contra et *β* 189 nihil ad id probandum pertinent, quoniam accusativus hic non a *παρφάμενος* participio, sed a verbo finito pendere videtur. — Idem iudicandum est de *παραμυθέομαι*, quod item dativum cum infinitivo secum habet: *I* 416. 684. *O* 45).

c. Verba docendi.

1) διδάσκω.

A. c. i.

α 384: σε διδάσκουσιν θεοὶ αὐτοί
ὑψαγόρην τ' ἐμεναι καὶ θαρσαλέως ἀγορεύειν.

χ 422.

Cf. Skeireins 46, 18: galeika sveritha usgiban uns laiseith; Barl. 103, 21: leret uns han erbermde; fragm. theot. 33, 8: leret sie kahaltan.

A. solus:

Δ 832. Ψ 308. ϑ 481. 489.

I. solus:

Ε 51: δίδαξε γὰρ Ἄρτεμις αὐτή
βάλλειν ἄγρια πάντα.

2) δέδαε.

A. c. i. apud Homerum non reperitur, sed accusativus facile suppletur:

υ 72: ἔργα δ' Ἀθηναίη δέδαε κλυτὰ ἐργάζεσθαι.

A. solus:

ζ 233: ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.

ϑ 448. [ψ 160].

d. Verba incitandi
(sive iubendi et cohortandi).

1) κελεύω.

A. c. i.

Β 11: θωρῆξαί ἑ κέλευε κάρη κομόωντας Ἀχαιούς.

Β 28. 65. 114. Ε 199. 823. Η 284. Θ 318. Ι 21. Κ 242. Ξ 62. Ο 176. Ρ 30. Σ 13. Τ 306. Υ 4. 87. 196. 332. Χ 101. Ψ 558. 568. 659. 802. 823. Ω 175. β 263. ε 384. η 48. 262. 304. ϑ 370. ι 177. 469. κ 339. λ 636. μ 53. 163. 193. ν 274. ο 305. 547. ρ 345. 350. ψ 264. 276.

Cf. Ulf. Matth. 8, 18: haihait galeithan siponjans hindar marein; Mar. 91: gebot die menige swigen; Skeir. 50, 12: jah antharans gamaudida gaumjan.

Acc. solus:

Δ 286: σφῶι μὲν — — οὔτι κελεύω.

Δ 359. *Ω* 220. 327. *δ* 274. *ϑ* 204. *ι* 278. *κ* 516. *λ* 507. [*ξ* 517]. *ο* 209. 339. *π* 81. *ϱ* 22. *φ* 175. *ω* 175.

Praeterea novem locis (*Η* 68. 349. 369. *Θ* 6. *η* 187. *ϑ* 27. *ϱ* 469. *σ* 352. [*φ* 276]) legitur:

ὄφρ' εἴπω τά με ϑυμὸς ἐνὶ στήϑεσσι κελεύει,

ubi ellipsi, quam Larochius (homerische Studien, p. 243) statuit, nullo modo opus esse videtur.

I. solus:

Β 74: *καὶ φεύγειν σὺν νηυσὶ πολυκληΐσι κελεύσω.*

Γ 119. *Ζ* 179. *Δ* 641. *Μ* 237. *Σ* 469. *Υ* 6. *Ψ* 404. *δ* 233. *η* 217. 226. *ι* 326. *κ* 17. 373. 386. *ν* 47. *υ* 341.

Dativus cum infinitivo legitur:

Β 50: *αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφϑόγγοισι κέλευσεν κηρύσσειν ἀγορήνδε.*

Β 151. 442. *Γ* 259. *Ε* 485. *Ζ* 491. *Ι* 10. 658. *Δ* 781. *Ο* 687. *Π* 727. *Υ* 96. *Ψ* 39. 563. *Ω* 643. [*α* 357.] *β* 6. 422. *δ* 296. *η* 163. *ι* 488. *κ* 128. *ο* 93. 287. *φ* 351.

Quibus cum locis conferri possunt:

Ζ 324: *καὶ ἀμφιπόλοισι περικλυτὰ ἔργα κέλευσεν.*

Τ 192. *π* 136. *ϱ* 193. 281.

Dativus solus saepius legitur, sic

Δ 428: *κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος ἡγεμόνων.*

Dativus et accusativus cum infinitivo tribus locis positus est:

Ψ 129: *αὐτίκα Μυρμιδόνεσσι φιλοπτολέμοισι κέλευσεν χαλκὸν ζώννυσϑαι, ζεῖξαι δ' ὑπ' ὄχεσφιν ἕκαστον ἵππους.*

ι 561. *λ* 44.

2) *κέλομαι.*

A. c. i.

Α 74: *κέλεαι με, διίφιλε, μυϑήσασϑαι μῆνιν Ἀπόλλωνος.*

Α 134. *Γ* 88. 433. *Ε* 810. *Ι* 517. *Μ* 300. *Ν* 69. *Ο* 138. 146. *Π* 657. *Σ* 286. *Ω* 297. 434. 582. *γ* 425. *δ* 37. 812.

ε 174. ζ 133. ι 100. 193. 274. κ 296. 299. 337. λ 71. ξ 259. ο 513. π 433. ρ 428. 555. υ 213. φ 265. 381.

Acc. solus:

K 534: *ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός.*

Σ 391. *T* 187. *δ* 140.

Inf. solus:

A 386: *αὐτίκ' ἐγὼ πρῶτος κελόμην θεὸν ἱλάσκεσθαι.*

I 171. *M* 235. *Ξ* 96. *O* 119. 508. *Σ* 254. *γ* 317. *η* 220. *ο* 16. *σ* 12 (ellipsi omissus est *β* 114).

Dativus cum inf.:

K 419: — *φυλασσέμεναί τε κέλονται ἀλλήλοις.*

M 467. *Σ* 343. *X* 442. *η* 335. *τ* 418.

Dat. solus saepius, ut

Z 286: *ἀμφιπόλοισιν κέκλετο.*

3) *ἄνωγα.*

A. c. i.

A 313: *λαοὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν.*

B 280. *Δ* 287. 301. *E* 509. 805. 899. *Z* 240. *H* 74. *I* 101. 219. 578. 680. *K* 120. 394. *Λ* 15. 189. 204. *M* 355. *Ξ* 105. 195. 262. *O* 160. 180. 295. *Π* 145. *P* 357. *Σ* 90. 176. 426. *T* 160. 171. 206. *Y* 77. 179. *X* 351. *Ω* 190. 198. *α* 269. 274. *β* 113. 195. 385. *γ* 141. *δ* 482. *ε* 89. 99. 112. 276. 357. *ζ* 216. *ϑ* 449. *ι* 44. 331. *κ* 264. *λ* 206. 356. *μ* 160. 227. 284. *ξ* 237. 246. 336. *ο* 97. 103. 346. *π* 312. 316. 446. 466. *ρ* 55. 279. 398. 508. 569. 582. *σ* 182. *υ* 43. 364. *φ* 80. 194. *χ* 129. 483. *ψ* 122. 132. 267. 368. *ω* 167.

A. solus:

Z 444: *οὐδέ με θυμὸς ἄνωγεν.*

I 703. *K* 130. *N* 56. 329. *O* 43. *T* 102. *Ω* 90. *ε* 139. *ο* 395. *π* 404. 433. *τ* 374. *χ* 437.

I. solus:

Z 170: *δεῖξαι δ' ἠνώγειν ᾧ πενθερῷ.*

Z 382. *H* 386. 394. *Θ* 322. *K* 67. *Λ* 139. 646. 778. *Π* 8. *X* 142. 351. *Ψ* 158. 245. 854. *α* 316. *γ* 35. 174. 317. *δ* 531. *η* 221. *μ* 158. *ξ* 336. *π* 278. 330. 405. (facile suppletur *Ω* 670).

